



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 37. Venetorum indignatio ob Amulium a Papa creatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul XVI.
A.C. 1561.

§, XXXVII.

*Venetorum indignatio ob Amulium a
Papa creatum.*

Pallav. c. 6.
uum. 5.
Ciacm.
p. 929.
Thuan. l. 28.

Verum Amulii electio levem quamdam contentionem Pontificem inter, & Venetorum Rempublicam excitaverat; hæc quippe Joannem Grimanium Aquilejensem Patriarcham, Antonii Veneti Ducis Nepotem summo Pontifici commendabat, atque etiam Pius IV. Papa ad illius electionem pronum semper præseferabat animum, dummodo Sacræ Inquisitionis Tribunal non obstitisset: etenim jam ab anno millesimo quingentesimo quadragesimo septimo hic Præsul erroneis quibusdam opinionibus favisse accusatus sese purgare coactus fuerat, quinimo ob ejusdem criminis suspicionem sedente Julio III. forte a purpura excluderetur: verum Pius IV. huic famæ fidem minime adhibens sese huic Viro probe affectum exhibebat, cum autem temporis progressu Grimanus denuo accusaretur, quod auxilium suum cuidam impenderet Concionatori, qui ex suggestu ad populum dicere haud dubitabat, quod nec prædestinatus damnari, nec reprobis salvari possit, ea propter summus Pontifex, paucis ante diebus, priusquam pro præfata Cardinalium electione Senatum cogere parabat,

rabat, Amulio Legato insinuavit, ma-
 gno valde dubio exponi, an per Gri-
 mani electionem valeat Reipublicæ vo-
 tis satisfacere, nisi prius suspiciones de
 doctrinæ integritate contra ipsum con-
 ceptæ fuissent dissipatæ. Attamen Le-
 gatus his Papæ verbis commotus su-
 bito eidem reposit, quod Respublica
 hanc repulsam ægerrime latura esset,
 eoquod certam spem de Viri hujus no-
 minatione concepisset, necnon aliundè
 id in Reipublicæ ignominiam cederet,
 cum illa in suspensionem trahi posset,
 perinde acsi ex suis civibus quemdam
 jure de sana fide suspectum promoveri
 rogasset: cum igitur Pontifex rem ab
 Oratore Veneto vehementius urgeri
 cerneret, Ghislerium Cardinalem su-
 premum Inquisitionis Magistrum adesse
 iussit, eidem injungens, ut iudicii acta
 hucusque contra Grimanum concivem
 suum instructa Legato traderet.

§. XXXVIII.

*Grimanus ob perversæ doctrinæ su-
 spicionem a purpura exclusus.*

Insuper Amulius Reipublicæ Orator a
 summo Pontifice facultatem impe-
 trabat, ut Grimanum, qui tum Romæ
 agebat, de rei gestæ serie edocere,
 eumque coram ipso Pontifice sistere pos-
 set: itaque comparuit ille, atque in

Sæcul. XVI.
 A. C. 1561.